



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. IV. Crvx anchora spei, tessera salutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT IV.

CRUX anchora spei, tesserā salutis.

Auxilium de tribulatione. *Psalm. 107, 13.*

Tuta salutifera miseram CRVCIS anchora
firmet,
Tota vel equoreis naufraga mergor aquis.



MBVLANTEM aliquando ad littus IESVM, ponè cum CRUCE sequebatur Staurophila. Ecce autem fœuior quædam exorta procella incautam in mare deiecit. Cumque fluctuum voluminibus paulò iam abriperetur longiùs, illacrymans exclamabat: *Saluam me fac Deus, quoniam intrauerunt aqua vsque ad adimam meã.* *Psalm. 68, 1.*
Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. *vers. 15.*
Eripe me, Domine, de luto, ut non infigar, neque absorbeat me profundum. *vers. 6.*
Cùm hæc & his similia altâ lugubrique voce quereretur, Christus ad eam, Quid est, inquit, quòd ipsa tibi, quâ licet, non succurras? An nescis CRUCEM, quam geris, anchoræ tibi loco esse, quâ in mediis etiam fluctibus firmam te reddas ac tutam? Dicebat hæc

X

Chri-

Christus, & simul apprehensâ eius CRUCE, ad terram benè madentem, & tantùm non exanimem reduxit.

Post modicum temporis vt ad se rediit, ita eam allocutus est: Animaduertisne, Staurophila, hos aliosque, qui tibi in hoc itinere accidere casus, totidem documenta esse, quæ aut VIAM CRVCIS cautè perambulare, aut virtutem eius multò maximam te edoceant? Ecce enim, quid aliud est præfens sæculum, quàm mare magnum & spatiosum, plenum procellosis voraginibus? Pelagus hoc longè lateque protensum, diuersis peccatis, & variis tentationibus, velut quibusdam fluctibus æstuat. *Mens quippe humana, quot tentationes patitur, tot flatibus mouetur. Hanc enim plerumque ira perturbat. cum recedit ira, succedit inepta letitia. luxuria stimulis vrgetur: æstu auaritia longè lateq; ad ambienda, quæ terrena sunt, tenditur. Aliquando hanc superbia eleuat, aliquando verò inordinatus timor in infimis deponit. Et, quàm magnam faciunt tempestatem multitudines cupiditatum, quæ velut in quodam freto corporis nauigantem hinc atque inde perturbant, vt gubernator sui esse animus non possit.*

Horresco, inquiebat Staurophila, auribus oculisque hauriens discrimina & fluctus, cum quibus mihi quotidie luctandum. *Quod enim*

Gregor.
l. i. i. Moral.
c. 23. in
c. 13. Tob.

Ambros.
Apol. poster.
pro
Dauid, c. 3.

enim mare abruptius quàm sæculum? tam infidum, tam mobile, tam profundum, tam immundorum spirituum flatibus procellosum.

Ambros.
Præf. in
4. lib. super
Luc.

Quis autem euadere pericula hæc poterit? quis emergere de profundis aquarum, de lacu miseriæ, & de luto faciis? Neque ego, aiebat Christus, fidere huic pelago te velim.

Noli credere, noli esse securo. Licet in modum stagni fusum aquor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus inclusum est periculum, intus est hostis. In illo æstu, charybdis luxuriæ salutem rotat. Ibi ore virgineo, ad perpetranda naufragia, scylla seu renidens libido blanditur. Hic barbarum littus, hic diabolus pirata, cum socijs portat vincula capiendis.

Hieron.
Epist. 1. ad
Heliod.

Sed enim, aiebat Staurophila, doce, quæso, benignissime IESU, vt me in hisce fluctibus dirigam. Docuit te, inquiebat Christus, Apostolus meus Paulus, cum diceret: *Fortissimi- num solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus anime tutam ac firmam. Quem admodum enim de navi quæ in anchoris est, recte dicimus quod iam in terrâ sit, adhuc tamen fluctuat, sed in terrâ quodammodo educta est contra ventos, & contra tempestates; sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ*

Hebr. 6.
18.

August. in
Psalm. 64.

Anton.
Balingh. in
Soopa-
diâ, tit. Ad-
uerſitas.

ſpes noſtra fundata, facit nos non abripi in ſaxa. Nec melior anchora ſalutari CRUCE, quæ ipſam ſuâ figurâ manifeſtè repræſentat. Echinus Marinus, quem fluctus vehementiores ad terram deuoluere, violenterque allidere ſolent, periculi metuens, vt vitæ ſuæ prouideat, ſpinis, quibus totus inuolutus eſt, minutioſiorem aliquem calculum colligit, vt eo ſe quodammodò libret ſtabiliatque contra procellas, ne earum vi in ſiccum propellatur. Idem & te facere oportet. Sæuiant venti, exurgant procellæ, non tibi, ſed Deo adiutori tuo innitere. Me veram petram & lapidem angularem ſolle, illique firmâ ſpe inhæreas, & nulla te deiiciet tempeſtas. Dic cum Prophetâ: *Mihi autem adherere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Inhærebat huic anchoræ tribulationibus undique cinctus S. Paulus, Scio, inquiens, *quæ hoc mihi proueniet ad ſalutem, per veſtram orationem, & ſubministrationem Spiritus Ieſu Chriſti, ſecundum expectationem & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.*

Pſ. 72, 28.

Philipp. 1,
19.

Sed & hoc euidentiùs intelligere volum, aiebat Staurophila, quæ CRUX mihi futura anchora ſpei, aut quomodo in tantâ ſalutis in-

incertitudine tribulatio labantem animum
 ita fulciat, vt certam beatitudinis concipiat
 fiduciam. Num ignoras, aiebat Christus, tri-
 bulationem prædestinationis esse symbolū?
 CRUCEM, arham salutis, & æternæ beatitu-
 dinis tesseram? *Quem enim Deus diligit, per*
aqua, per iniqua, per fluxus & refluxus perdu-
cit ad portum. Et quemcumque potioribus do-
 nis exornare sublimiterq; transformare decre-
 uerit, eum non blandè & molliter lauare, sed
 totum in mare amaritudinis immergere con-
 suevit. Quo autem fructu? nisi illo, de quo
 Sara dicebat: *Hoc pro certo habet, omnis qui*
te colit (ô Deus!) quod vita eius, si in probatio-
ne fuerit, coronabitur: quia post tempestatem,
tranquillum facis; & post lacrymationem &
fletum, exultationem infundis. Apertius dixit
 Apostolus: *Si quid patimini propter iustitiam,*
beati. Hæc est enim gratia, si propter Dei con-
scientiam sustinet quis tristitias, patiens iniu-
stè. Et quid clarius, quàm quod ipse in Euan-
 gelio dicebam: *Beati qui persecutionem pa-*
tiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum
est regnum celorum. Certa itaque atque secu-
 ra est expectatio promissæ beatitudinis, ubi
 est participatio Dominicæ CRUCIS. Qui enim
 compatitur, & conglorificabitur. O amplif-
 simum, aiebat Staurophila, spei fulcrum! ô
 quantum auxilium in tribulatione! Non

Lipfius
 Centur.
 miscel.
 Blo. Instit.
 spirit. c. 8.

§. 3.

Tob. 3, 21.

1. Petr. 3,
 14.
 1. Petr. 2,
 19.

Matth. 5,
 10.

Leo Ser. 9.
 de Quadr.

adeò CRVX affligere deinceps poterit, quàm
exspectatio æternæ salutis consolari. Tu au-

Pf. 88, 10.

tem Domine, qui *dominaris potestati maris,*
& *motum fluctuum eius mitigas,* gubernamē

August. in
Soliloq.

in hoc æquore, ne peream in fluctibus. Vnco

CRVCIS, *retrahē me ab hoc pelago ad te sola-*

men vnicum, quem à longè (quasi stellam ma-

tutinam & Solem iustitiæ) vix lacrymanti-

P sal. 6, 6.

bus oculis in littore celestis patriæ me exspe-

ctantem video. Exaudi Deus salutaris noster,

spes omnium finium terra, & in mari longè. In
mari turbulento versor; tu in littore stans,
aspicis pericula nostra: saluam me fac propter
nomen tuum. Da, Domine, inter scyllam & cha-
rybdim ita tendere, & tenere medium, ut utro-
que periculo euitato, secura perueniam ad
portum.

